DE
IDIOSYNCRASIA
DISSERTATIO MEDICA.

QUAM

AD DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE GRADUM AB AMPLISSIMO ORDINE MEDICORUM IN UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA RITE OBTINENDUM

IV. SEPTEMBRIS MDCCCXLI.

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

CAROLUS BERTHOLDUS HEINRICH

BONNENSIS

AA. LL. MAG. PHIL. DR.

OPPONENTIBUS:

HENRICO KLEIN, Med. et Chir. Cand.
CAROLO VELTEN, Med. et Chir. Cand.
IOSEPHO EUTENEUER, Med. et Chir. Dd.

Phoebe, fave! novus ingreditur tua templa sacerdos.
Tibullus.

BONNAE AD RHENUM.

IMPRESSIT CAROLUS GEORGI.

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS EXPERIENTISSIMIS DOCTISSIMIS

CHRIST. FRID. HARLESSIO
MAUR. ERN. AD. NAUMANNO

PRAECEPTORIBUS SUIS DILECTISSIMIS

HAS STUDIORUM MEDICORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

CAROLUS BERTHOLDUS HEINRICH

AEQUO LECTORI

S.

Physiologiae et pathologiae summam necessitudinem et affinitatem esse, pathologiam nonnisi ex legibus physiologicis illustrari, inter medicos omninium temporum satis constat. Quo magis illud mirari licet, quum physiologia iam longiore ex tempore maxima ceperit incrementa, pathologiam generalem novissime demum ex priscis nominibus formisque in meliorem statum reformari coepisse. Eiusmodi nomen etiam idiosyncrasia est, campus pathologiae iam quidem valde incognitus. De qua quum tot medici scripserint, ut multitudo eorum vix numerabilis videatur *), pauci modo, sed optime omnium C. H. Schultz **), Professor Berolinensis illustrissimus, gravissimam illam doctrinam ad rationes phy-

---

*) Ploucquet Literatura medica digesta T. II. p. 418. Gruithuisen *Anthropologie* p. 384. sq. C. W. Stark *Allgemeine Pathologie* Vol. I. p. 203.

**) *Encyclopädisches Wörterbuch d. medicin. Wissenschaften* Vol. XVII. (*Berlin* 1838) in h. v.

siologicas referre instituerunt. Simili igitur via eandem ego in dissertatiuncula hac prosequi conatus sum. Ita, Lector, vale, mihique in iuvenili periculo hoc faveas.

Scripsi Bonnae ad Rhenum medio Augusto MDCCCXLI.

INDEX.

§. 1. Multa sunt, quibus singulorum hominum personae inter se differunt: sexus, aetas, loci, in quo vivunt, victusque ratio, temperamentum, consuetudo, idiosyncrasia et alia. Quorum quidem cum in sanitate magnum momentum est, tum vero multo maius in morbo. Nam ista sunt, ex quibus forma ac species morbi plurimum pendere solet, quae medici curam aut multum adiuvant, aut irritam faciunt.

Iam mihi quidem de idiosyncrasia varias scriptorum definitiones comparanti — sunt autem permultae; conf. Horn *Archiv für medizinische Erfahrung* Vol. V. (*Berlin* 1804) p. 88. — imprimis hoc cavendum videtur, ne fines iusto latius ponamus, atque sic idiosyncrasiae imputemus, quae ad alia pertinent. Ut unum pro multis nominem, Bégin [1]) Broussaeo auctore tot idiosyncrasias esse ait, quot corporis humani partes vim sympathicam in totum organismum exerceant, vi propria sua totius corporis constitutioni singularem quandam formam imprimentes. Sic biliosam seu gastro-hepaticam, genitalem, uterinam et muscularem idiosyncrasiam distinguit; quin naturales, quas vocat, idiosyncrasias,

1) *Medicinisch-chirurgische Zeitung fortgesetzt* v. Ehrhart Vol. I. (*Innsbruck* 1823) p. 327. sq.

siquidem in infantibus et pueris cerebrum tractusque intestinulis, in adultis organa genitalia ac respiratoria, denique in senibus intestina abdominis ceteris organis irritabilitate praevaleant, morbis inde praecipue obnoxia. At vero istae mehercule non magis idiosyncrasiae nominandae sunt, quam quibusdam auctoribus omnis antipathia vel sympathia. Simplicissima et optima, ut puto, F. Puchelti [1]) definitio est. Si, inquit, organismus aliquis in certa irritamenta externa proprio quodam modo agit, idiosyncrasia haec est. Similiter C. H. Schultz [2]) et C. G. Carus [3]).

§. 2. Fieri igitur non potuit, quin medici et physici iam ex antiquissimis temporibus eiusmodi quasi lusus naturae et, ut saepe videri potest, miracula animadverterint et annotarint. Plenae exemplorum sunt Academiae Naturae Curiosorum Ephemerides, plenae, ut ceteras transeam, recentiores collectiones a Wagnero [4]), Marcio [5]) et Schultzio [6]) diligentissime confectae. Sed ut scriptores in enumerandis variis omnis generis casibus magnam operam magnamque industriam impenderunt, ita explicare eos eorumque physiologicas rationes inda-

---

1) Ei. *System der Medicin* Vol. I. p. 288.

2) *Encyclopädisches Wörterbuch d. medicin. Wissenschaften* Vol. XVII. p. 613.

3) Ei. *System der Physiologie* Vol. I. §. 241.

4) Hufeland *und* Himly *Journal d. practischen Heilkunde* Vol. VI. (*Berl.* 1811) Fasc. 5. p. 63. sqq.

5) *Dictionaire des sciences médicales* Vol. XXIII. (*Paris* 1818) p. 498. sqq.

6) L. c. p. 624. sqq.

gare paene omnino omiserunt, ubi autem tentarunt, saepe verum non assecuti videntur. Quis vero est, qui non intelligat, medicum haec cognosse non modo decere, sed etiam in curatione aegrotorum multum eius interesse debere? Etenim diversissimis illis idiosyncrasiae exemplis digestis, inter se comparatis et ad remotiores leges regulasve physiologicas reductis primum hoc cognoscitur, ea, quae singularia in natura et miracula esse videbantur, ex notis, saepenumero ex simplicissimis rationibus explicanda esse atque ita naturali cum ceteris actionibus vitalibus connexu iuncta cohaerere. Deinde vero quod curam attinet, idiosyncrasiarum accuratior consideratio, ut infra pluribus exponetur, tales docet distinguendas esse, quae momenti levioris medicum non impediant, quin nonnunquam diligentia industriaque adhibita tolli queant, partim tales, quae nonnisi cum summo hominum damno suscitentur. Sic Marc [1]) de infante refert, qui magnam casei antipathiam habuerit, quumque coactus aliquid eius comederit, epilepticus inde factus sit. Medicus Batavus, H. W. Brands Schippers [2]), in femina, quae perpetuo ac pertinaci fluore albo laborabat, ex lapidum pulveratorum cancrorum usu profusissimas haemorrhagias uteri observavit. Dominico Sala [3]) auctore matrona quaedam nobilis, quae aceti ne odorem quidem impune tulit, exhibitis nihilominus

1) L. c. p. 491.

2) *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Aerzte* Vol. XVIII. (*Leipz.* 1799) Fasc. 3. p. 471. sqq.

3) Th. Bartholini Actt. medic. Hafniens. Vol. IV. Obs. 28. p. 85.

oxymellis unciis duabus mortua est. Exemplum insigne opii antipathiae NASSE V. Cl. expertus est, quum viro iuveni Coloniensi opii doses exiguas inscienti dedisset: quem ubi postero die visit, confestim ille haud dubie opium se accepisse clamavit, nam ex medicina summa vertigine se cruciari. Add. THOM. SYDENHAM Dissertat. Epistolar. de affectione Hysterica [1]), HORN l. c. p. 100.

§. 3. Propriam talium actionum abnormium causam atque naturam obscuram esse, vel ipsum nomen idiosyncrasiae indicare potest, quod Graecae originis est et ex Graeco in ceteras linguas transiit. Scilicet sic fieri solet in medicina, ut, quo minus rei alicuius propria indoles pateat, eo lubentius nomine Graece sonante nimbus doctus inscitiae offundatur. Nomen Graecum docet, medicos veteres humorali pathologiae, maxime a Galeno perfectae, addictos indiosyncrasias in singulari quadam humorum, ex quibus organismus animalis compositus sit, temperie posuisse. Quam quidem opinionem cum ceteris scholae Galenicae doctrinis multi recentiores quoque medici assumsisse videntur. Paullum aliter, a chemicis scholae Sylvianae dogmatis auxilio petito, medicus quidam in Ephemeridibus Academ. Nat. Curios. [2]), qui ibi de civi Hafniensi narrans iuvenem eum in colicam incidisse, quoties odorem malorum citreorum percepisset, „hominem, Galenice loquendo, biliosum fuisse“ scri-

1) Ei. Opp. med. Tom. I. p. 271. ed. Genev.

2) Decur. II Ann. I. Obs. 72. p. 196.

bit, „cuius humores facile fragrantia illa in effervescentiam aliquam vel fermentationem commoti fuerint.“ Alius rursum, I. P. Albrecht [1]), quasi veterum Methodicorum unus fuisset, causam in ignota nobis „particularum sanguinem aliosque corporis humores constituentium differentia specifica secundum peculiarem cuiusque individui proprietatem pororumque diversitatem“ ponit. Pariter mechanicae Olai Borrichii [2]) et Charltoni [3]) theoriae. Haec quidem omnia opinionum commenta sunt, quae, quum systemata, ex quibus profecta, dudum die deleta sint, fusius hic refutare velle supervacuum est.

Iam tempore recentissimo maxime ad systema nervosum tanquam sedem idiosyncrasiae animum vertentes, Roose [4]), ad veterum theoriam quodammodo regressus, in nervorum peculiari chemica mixtura originem quaerendam esse censet; magis etiam specialiter Lenhossek [5]), Puchelt pater [6]), Stark [7]) aliique in systemate gangliorum. Quod Roosii opinionem attinet, singularem chemicam quandam nervorum temperaturam suspicantis, nuperrime iam Schultz [8]) monuit, physiologia recentiore satis eam

---

1) Ibid. Dec. II. Ann. VIII. Obs. 169. p. 420.

2) Th. Bartholini Actt. med. Hafniens. Vol. IV. Obs. 44. p. 147.

3) Ei. Exercitatt. patholog. X. §. 33. Cf. Onomatologia medico-practica Vol. I. (*Nürnberg* 1783) s. v. Antipathia col. 250. sq.

4) *Ueber die Krankheiten der Gesunden* (*Göttingen* 1801) p. 465.

5) Ei. Physiologia medicinalis Vol. II. p. 195.

6) Ei. *Beiträge zur Medicin* Fasc. I. (*Leipz.* 1823) p. 120.

7) Ei. *Allgemeine Pathologie* Vol. I. p. 204.

8) L. c. p. 613.

confutatam videri. Quod autem alii nos ad gangliorum systema delegant, campus hic adhuc minus notus et obscurior est, quo scilicet saepe transferunt scriptores, quae sibi non liquent. Nam mihi quidem, quod symmetrica structura in gangliorum systemate desideratur, quod distributio, magnitudo et forma plexuum, gangliorum ramorumque communicantium in variis hominibus diversa est [1]), saltem non satis probare videtur, ab ista systematis vegetativi differentia constitutionem individualem, idiosyncrasias varias et propriam hominum singulorum in morbos certos dispositionem praecipue repetendas esse. Ac tacent de idiosyncrasiis, quibus accuratissimae de gangliorum fabrica usuque disquisitiones debentur, Wutzer V. Cl. et Breschet. Quodsi autem idiosyncrasiae genera nonnulla a gangliis potissimum pendent, de lunae idiosyncrasia istud imprimis valet; qua de mox plura.

§. 4. Pervulgatam opinionem, idiosyncrasias tantummodo ad systematis nervosi actiones pertinere atque igitur solum in sensibilitate abnormi consistere, Schultz [2]) ut minus veram reiicit, et ipse magnum idiosyncrasiarum numerum paene in omnibus corporis functionibus, etiam iis, quae nihil cum sensibilitate commune habeant, reperiri contendit; sensibiles autem functiones praecipue earum divites

---

1) Soemmerring *Vom Baue des menschl. Körpers* Vol. IV. §. 315—36. Bichat *Anatomie générale* Vol. I. 1. p. 218. sqq. ed. Paris. 1812. Lenhossek l. c. et p. 185. sq., eiusdem *Darstellung des menschl. Gemüths* Vol. I. p. 417. sq.

2) L. c. p. 613. 624.

esse. Verissime, puto. Minus SCHULTZIO [1]) in divisione ac distributione assentior. Quumque paene nemo eorum, qui de idiosyncrasiis scripserunt, non propriam earum divisionem sibi fecerit, nulla tamen omnium satisfacere mihi videatur, ipse iam iure quodam novam propono. Videant doctiores, num varium idiosyncrasiarum originis genus, ex quo solum etiam practica utilitas redundare potest, ea fortasse accuratius illustretur.

Idiosyncrasiae igitur nihil sunt nisi aegritudinis symptomata alterutrius vitae animalis factorum, systematis nervosi aut sanguinis. Utrum genus frequentius sit, nervorum sanguinisve idiosyncrasiae, difficile dictu; tamen probabile est, illas crebrius obvenire.

Sedes generis idiosyncrasiae nervosae, nervi, primum organa sensuum externorum sunt, i. e. tactus, gustus, olfactus, auditus atque visus, quae quidem omnia in ultimis finibus systematis nervosi totum corpus pertexentis extensa impressiones rerum externarum excipiunt, exceptas sensorio communicant, sensorio animae. Nec solum externorum sensuum organis abnormes eiusmodi actiones provocantur: in nonnullis hominibus totum nervorum rete per totum corpus expansum, quod coenaesthesi tribuitur, sic comparatum videtur, ut levissimis saepe stimulis proprio ac vere mirabili modo respondeat. Iam vero quum nervorum actiones vitiosae sint, animae quoque vitioso nervorum instrumento corporis

---

1) L. c. p. 623.

sui conditio omnesque corporis mutationes perversae appareant necesse est; unde omnia illa abnormium et singularium appetituum genera, picae, malaciae, antipathiae.

Scatent huius idiosyncrasiis generis morbi, quibus potissimum nervosum systema patitur, ut febres nervosae, hysteria, hypochondria, chlorosis; scatent etiam psychici morbi, siquidem animae cum nervorum centris intima necessitudo intercedit, plurimaeque antipathiae sola imaginationes vi proferuntur; denique graviditates, in quibus cum vegetativa vita, tum vero sensibilitate totius organismi muliebris insigniter aucta excessus sensibilitatis et idiosyncrasiae cuiusque generis observantur [1]).

§. 5. Qui varias formas idiosyncrasiae secundum varia corporis organa descripsere, maxime quidem exempla, quae ad sensus externos et ad universam coenaesthesin pertinent, magna diligentia undecunque collecta exhibuere. Nihilo secius nonnulla eos fugisse video, quae, quum satis memorabilia videantur, pro spicilegio hic subiungam.

Sensuum externorum Blumenbach [2]) iure affirmat nullum tantis idiosyncrasiis obnoxium, nullum animi deliquiis tam excitandis quam fugiendis aptiorem esse, quam olfactum. Vix enim alius est, cuius tam arcta cum sensibus internis, cum coenae-

1) C. F. Burdach *Die Physiologie als Erfahrungswissenschaft* Vol. I. p. 92. sq.

2) Ei. Institutt. physiolog. §. 246. Add. F. B. Osiander *Handb. der Entbindungskunst* Vol. I. p. 408. 420. Stark *Allg. Pathol.* Vol. I. p. 336.

sthesi coniunctio et quasi in eandem imperium. Quo pertinent etiam apprime commemorabiles casus illi, gustu in iisdem hominibus vehementer appetente, quae olfactus fastidiose, immo ad deliquium usque aversatur. Ita homo odorem pomorum citra animi deliquium vix admittebat, vescebatur vero liberrime pomis [1]). Duo exempla persimilia, quorum unum item de pomis, alterum de anguilla est, in Ephemerid. cit. Dec. II. Ann. III. Obs. 204. p. 413. leguntur. Quartum exemplum Ol. Borrichius [2]) huc traxit, de quo ita: „Oenopola, quoties acetum mensae impositum conspicit, cohorrescit et sudore frigido perfunditur, verum si non visum haurit, nihil inde damni percipit. An vapores acidi oculis et naribus illius molesti sunt, palato et stomacho grati?"

Notissimae sunt observationes illae Nassii [3]) V. Cl., cui somnambula somno magnetico consopita varia metalla solo tactu distinxit. Eadem postea ab Erdmanno et aliis repetitae sunt; atque Naumann V. Cl. mihi narravit, feminam quondam se magnetice curavisse, quae ex magnetismo tantam hyperaesthesin tantamque in ferrum antipathiam nacta fuerit, ut etiam virgam ferream, quam ipse experimenti causa sub veste occultam secum tulisset, illico persenserit. Add. Frid. Hufeland *Ueber Sympathie* (*Weimar* 1811) p. 95. sq. 172. sqq., Kluge *Der animalische*

1) Ephem. Acad. Nat. Curios. Dec. II. Ann. I. Obs. 72. p. 176.

2) Th. Bartholini Actt. med. Hafn. l. c.

3) Reil *und* Autenrieth *Archiv für die Physiologie* Vol. IX. Fasc. 2. p. 273. sqq.

Magnetismus als Heilmittel §. 122. et Osiander *Entwikkelungskrankheiten in den Blüthenjahren des weibl. Geschlechts* Vol. I. p. 103. sq. ed. II. Quin Thouvenel [1]) et I. W. Ritter [2]) exemplis probarunt fuisse, qui per se absque magnetismi ope et vigiles quidem ex lithanthracum massis, fontibus atque metallis profunde humi absconditis singulari quodam modo afficerentur; ut fabulae illae de hominibus, qui auri argentive thesauros sub pedibus suis terrae infossos indagare et indicare potuerint, et rhabdomantia minus futiles et ridiculae videri possint [3]), quam ab Osiandro [4]) habitae sunt et omnino ab eruditis haberi solent. De ratione physiologica incredibilis sagacitatis istius ad metalla Ritter [5]) et Nasse [6]) perprobabiliter sic iudicarunt, hominum istorum corporis non solum unum organum, velut oculum aut linguam, sed cunctam cutis superficiem tam sensibilem esse, ut illi electricitate a metallis profecta, aliis minime sentienda, afficiantur affectique secundum gradum, fortasse specificam quoque varietatem tensionis electricae, varia metalla distinguant. Hoc quidem constat, ex causa electrica multas idiosyncrasias explicandas esse. Sic homines sunt, impri-

---

1) *Ueber unterirdische Elektrometrie. Zürch* 1794.

2) Ei. *Neue Beyträge zur nähern Kenntniss des Galvanismus* Vol. I. Fasc. 1. *Tübingen* 1808.

3) F. Hufeland l. c. p. 96.

4) L. c. Vol. I. p. 196.

5) L. c. p. 72.

6) L. c. p. 277.

mis rheumatici, quorum tanta nervorum tensio electrica est, ut imminentes tempestates, terrae motus montiumque ignivomorum eruptiones sensu interno, nonnunquam miro quodam animi angore correpti, praesentiscant atque praedicant; porro qui animalia valde electrica, ut feles, quovis modo vitare debeant, nimirum praesentia eorum in convulsiones incidentes [1]). Num inde fortasse etiam antipathiarum in certos homines natura et origo lucis aliquid accipere queant? Bartels [2]) nonnullos idiosyncrasia visus quadam lunae lucem non pati monet. Rectius, opinor, in talibus hominibus totius systematis nervosi dispositio accusanda, siquidem etiam in insulis Indiae Asiaticae morbum observari ferunt, quo qui sub luna dormiant corripiantur [3]); lunamque in systema nervosum, praecipue, ut videtur, gangliorum, totumque organismum maximam vim exercere nemini non notissimum est [4]). Summa denique aquae antipathia hydrophobicorum est.

§. 6. Multo graviores, quam sensuum externorum, idiosyncrasiae ex singulari quadam totius sensorii conditione sunt, sensorio scilicet adeo adaucto [5]), ut inde futura divinandi, tam somniis, quam

---

1) Stark *Allg. Pathol.* Vol. I. p. 283. Carus *System d. Physiol.* Vol. I. §. 241.

2) Ei. *Pathogenetische Physiologie* (*Cassel u. Marburg* 1829) p. 327.

3) *Medicinische Nachrichten über die Länder des ostindischen Archipels und die dort herrschenden Krankheiten* in diario Monacensi *Das Ausland* a. 1841. nr. 52.

4) Stark *Allg. Pathol.* Vol. I. p. 268.

5) Berthold *Physiologie* Vol. I. §. 171.

sine iis, facultas, quin etiam videndi exsistat. Talem quorundam hominum facultatem primus Bartels [1]) animae idiosyncrasiam (*geistige Idiosynkrasie*) haud inepte appellavit. Incredibile hoc esse putares, nisi auctores spectatissimi, ut unum pro multis nominem, C. G. Carus [2]), luculentissimis exemplis rem satis confirmassent. Nec desunt exempla, homines aegrotos mirabili instinctu quodam curam et remedia sua sibi ipsos praescripsisse adhibitisque sanatos esse. Multa eiusmodi Osiander [3]) congessit; multa iam veterum narrationes de incubationibus in templis Aesculapii, Isidis et Serapidis, quibus aegroti per somnia morborum suorum remedia exspectabant, suppeditant [4]). De herba, quae Pericli somnio a Minerva monstrata et cum felicissimo successu adhibita sit, legas C. Sprengelii *Geschichte der Arzneykunde* Vol. I. p. 174. ed. III. Talem quidem facultatem, ut tot alia, credere facilius est, quam explicare. Rosenkranz autem et Carus [5]), qui visiones nihil nisi somnia vigilanter somniata esse dicunt, quum eo explicare aliquid videantur, omnino

---

1) L. c. p. 317.

2) Ei. *Vorlesungen über Psychologie* (*Leipz.* 1831) XV—XVII.

3) Ei. *Entwickelungskrankheiten* Vol. I. p. 93. sqq.

4) I. H. Meibomius De incubationibus in fanis deorum. Helmstadiae 1659. A. van Dale De oraculis veterum ethnicorum (Amstelod. 1700) cap. 11. Kinderling *Somnambulismus verglichen mit dem Tempelschlaf. Leipz.* 1788. F. A. Wolf *Beitrag zur Geschichte des Somnambulismus aus dem Alterthum: Vermischte Schriften und Aufsätze* (*Halle* 1802) p. 382. sqq. B. Thorlacii dissertatio de somniis Serapicis: Opuscula academica (Hauniae 1815) Vol. III. p. 125. sqq.

5) L. c. p. 336.

nihil explicant. Iam quidem universa coenaesthesis peculiari modo in hominibus illis comparata et aucta est; quodsi autem sensus aliquis modum imprimis excedit, in iis, qui praesagiendi vi pollent, potissimum olfactus, in iis vero, quorum animo rerum absentium imagines ita repraesentantur, ut eas oculis cernere ac praesentes habere putent, visus quoque ceteris praevalere videtur.

§. 7. Num illis functionum anomaliis physica quoque ratio ac differentia aliqua subest? Hic quidem tenendum est, systemati nervoso proprium hoc esse, quod mutationes dynamicae eius facillime atque aperte, contra materiales parum et tectius prodeant, nimirum dynamico momento materiale longe superante. Neque vero eos oportet sequi, qui, velut de la Roche [1]), quum adhuc nervorum functionibus turbatis causae mechanicae physicorum diligentia repertae non sit, ideo eas omnino temere negant. Immo vires abnormes nervorum necessario cum materia nervorum abnormi iunctas esse, materiamque formamve nervorum vitiosam etiam morbos nervorum facere oportere, Reil in Pyretologia [2]), immortali illo verae Germanicae medicinae monumento, praeclare exposuit. Similiter Puchelt [3]). Quid, nonne aetatis vicissitudines, quibus idiosyncrasiae aut subito evanescunt aut primum emergunt,

---

1) Ei. *Zergliederung der Verrichtungen des Nervensystems, übers. von* Merzdorff, (*Halle* 1794) Vol. II. p. 188. sqq.

2) Vol. IV. §. 21.

3) Ei. *Beiträge zur Medicin* Fasc. I. p. 114.

nonne morbi idiosyncrasiis distincti, nonne denique graviditas satis probant, idiosyncrasias cum totius organismi metamorphosi conditionibus illis vitalibus producta arctissime cohaerere, mutationis materialis legibus obnoxias esse? Itaque, quamvis cum Lenhossekio aliisque idiosyncrasiae a systemate gangliorum plexibus, gangliis ramisque communicantibus in variis hominibus diverso non praecipue repetendae sint, physicae tamen nervorum causae haud dubie subsunt, postea forsitan inveniendae, aut adeo subtiles, ut accuratius indicari nunquam possint.

Nec magis constat, quomodo vires nervosae a forma differant, num vitia ista in viribus iusto maioribus minoribusve posita sint [1]). Nonnunquam ex desiderio aut antipathia rei alicuius coniecturam facere licet. Velut quum aliquis terebinthinae asaeve foetidae odorem, quem quidem plerique abominari solent, eximie amat [2]), quis inde non putat, sensibilitatem illius, i. e. systematis nervosi vires, depressam iacere eiusque igitur naturam odoribus asperrimis istis oblectari posse? Idem de hystericis valet, quae dulces mollesque odores atque cantus, et de hominibus, qui lunae pallidum lumen non patiuntur [3]).

§. 8. Tantum de idiosyncrasiis nervinis. Alterum genus, quod in sanguinis dyscrasia pono, iam quidem minus notum, quam prius, sed gravioris

---

1) Reil *Fieberlehre* Vol. IV. p. 60. ed. III.
2) Carus *System d. Physiol.* Vol. I. §. 241.
3) Bartels *Pathogenetische Physiologie* p. 327. sq.

momenti in dignoscendis curandisque morbis est. Organa hic in quaestionem veniunt, quae sanguinem partim faciunt, partim secernendo purgant: ventriculus, tractus intestinalis, hepar, lien, renes, cor. Aegrotis his etiam sanguis aegrotat. Pauca nunc quidem habeo, quibus opinionem meam fulcire possum; sed veniet quondam, ut spero, tempus, quo medici idiosyncrasias quoque in diagnosi occultiorum morborum adhibebunt.

Ventriculus, sedes idiosyncrasiae primaria, vitali conditione tali uti potest, ut aut cibos quosdam, saepe antea consuetos atque gratissimos, vehementissime aversetur, aut appetitus vix superabilis certique edulium generis, quin absurdorum et vere horribilium, voracitas exsistat. Largissima omnis generis exemplorum seges in chloroticis, hystericis, hypochondriacis, omnium maxime in gravidis colligenda; quamvis saepe perdifficile dictu sit, cuinam potissimum fonti antipathiae, malaciae et picae istae tribuendae sint, utrum pravae chylificationi, an potius systemati nervoso, an denique imaginationis vitio. Quod singulares mirasque appetentias ciborum vel potulentorum attinet, Osiander pater [1]) chemicam naturam eorum accuratius respiciens et in vitali ventriculi conditione melius cognoscenda egregie adhibens plerasque in has tres classes redegit: primum acida, secundum res acida absorbentes, tertium cibos potusque, qui acrimoniam aliquam, na-

---

1) Ei. *Hdb. der Entbindungskunst* Vol. I. p. 410. sqq. *Entwickelungskrankheiten* Vol. II. p. 324. sqq.

trum muriaticum, acidum phosphoricum, ammonium continent. Conf. CHR. F. HÜBNERI dissertat. inaugur. med. de Coenaesthesi, praeside REILIO defensa, (Halae 1794) §. 7. Classis primae acetum, legumina fructusque aceto condita, mala citrea, poma immatura sunt. Causa videtur esse, quod sanguine magis in alias abdominis partes, praecipue in lienem, minus igitur ad stomachum tendente succus gastricus ex glandulis tunicae intimae ventriculi minore copia secernitur, itaque instinctus salutaris succi gastrici elementa, acidum aceticum et muriaticum, in alimentis quaerit. Quum vero in plethora ventriculi, vita ventriculi irritabili adaucta vasculisque sanguinis abundantia turgentibus, gastricus succus plus satis secernitur, subito appetentia rerum acidum exstinguentium ac minus solubilium exoritur. Quorum imprimis sunt alcalina terraeque absorbentes, terra fictilis [1]) et calcaria, creta, arena, carbo, cinis, sapo, charta mollis, praesertim bibula, lintea et similia. Ventriculus denique, nervorum eius susceptibilitate iacente, torpore affectus esse potest, quem mox status pituitosus subseque solet. Hic improbissima ingluires salis, halecum, casei veteris foetentis, carnis putrescentis, quin urinae stercorisque humani [2]), quo scilicet pituita tenacissima suscitetur ac solvatur, aut etiam soluta ore vel ano eiiciatur. Veteres, quum idiosyncrasiis gravidarum

1) PAULUS AEGINETA I, 1.

2) ZACUTUS LUSITANUS De praxi medic. admirand. III. Obs. 108. IOS. FRANK Praxeos med. univers. praecepta P. II. Vol. 1. sect. 1. p. 561. WAGNER l. c. p. 76. SCHULTZ l. c. p. 627.

malaciae nomen imponerent, hanc languidam ventriculi conditionem intellexerunt. Ceterum simillimae picae rabiei caninae symptoma sollemnissimum observantur [1]).

Ita quidem malaciae et picae saepe vera conamina naturae sunt periclitantem sanitatem tuentis. An calcaria terra a gravidis petita fortasse ossibus foetus formandis inserviat? Sed multum abest, quin omnes idiosyncrasiae salutiferae habendae sint, ut Zimmermann [2]), medicus Limburgensis, de graviditate locutus angustius iudicavit. Multae enim sunt, quarum originem et quid sibi velint neutiquam assequi licet, ac multum dubito, quin Zimmermann ulli persuasurus fuerit, impetum istum nonnunquam insuperabilem in gravidis obvium res alienas auferendi aut etiam alium interficiendi almae matri naturae tribuendum esse. Rectissime Osiander [3]) has idiosyncrasias animae corporique in commune adscribit, quorum tamen originem, ut tot alia in anima, ulterius persequi non licere. Idem [4]) quod mulieres gravidae frequenter quotidianos et usitatissimos cibos fastidiose aspernentur sumtosque vomitione reddant, plerumque inde derivari vult, quod secundum suam observationem eorundem ciborum

1) Hertwig *Beiträge zur nähern Kenntniss der Wuthkrankheit od. Tollheit der Hunde*, in Hufelandi et Osanni *Journal d. pract. Heilkunde J.* 1828 *Supplement-Heft* p. 35. 53.

2) *Ueber Idiosynkrasien bei Schwangern*, in Sieboldi *Journal für Geburtshülfe* Vol. I. Fasc. 3. p. 453. sqq.

3) Ei. *Hdb. der Entbindungskunst* Vol. I. p. 413.

4) Ibid. p. 407.

potionumque digestio conceptione turbata, illi post coitum crudi evomiti fueriut, atque ita tum nervorum stomachi affectione tum imaginationis vi antipathia ista ad tempus fixa maneat.

Cibi quidam, potissimum testacea, cancres, cammari, mytili, pisces, item albumen, saccharum, mel, fungi, avena excorticata, amygdalae, nuclei druparum, ruba, fraga, cucumeres virides, valeriana, cerevisia, spiritus frumenti, vinum album, acetum et alia in quibusdam hominibus brevi post, quam comesa sunt, urticariam, febrilem vel evanidam, faciunt [1]). In his quidem idiosyncrasiis Willan [2]) nimiam sensibilitatem ventriculi accusat. Neque hoc eo non confirmari videtur, quod in mulieribus tenellis et sensilibus ventriculo cibis nimis onusto simile exanthema non raro in cute oritur. Nihilominus sola sensibilatas tali exanthemati proferendo vix sufficere, sed singularis etiam chylificationis anomalia accedere debere mihi videtur; id quod melius, ut spero, elucebit, ubi erythematis necessitudinem cum bile attigero.

§. 9. Idiosyncrasiarum similium praeter stomachum etiam tractus intestinalis inferior fons esse potest. Conf. Hübner l. c. Manifesto ostendit hoc ea chlorosis forma, cuius causa in torpore non stomachi solum, sed totius apparatus digestivi consistit, statu pituitoso intestinorum vel partis eorum

---

1) Cf. scriptores, quos Wagner laudat l. c. p. 65. sq.

2) Ei. *Praktishe Darstellung der Hautkrankheiten* p. 116. sq. 119. vers. German. E. Blasii ed. II.

et exinde vermibus, potissimum lumbricis, abundantissime subnatis [1]).

§. 10. Saepenumero observatum est, homines certas quasdam baccarum species, ruba, fraga [2]), cibosque difficile concoquendos, ex. g. cancros, piscium ova, ostreas, licet ipsis sapiant adeo tamen ferre non posse, ut, ubi eorum aliquid comederint, cutis erythemate — erysipelate veterum — effloresceret. Quin femina, auctore SCHIPPERTE [3]), solum quod aquam terebinthinae manibus tractaverat, toto corpore gravissimo erythemate bis affecta est. Casus simillimus nuper a GADOLINO [4]) observatus. Iam autem erythema plerumque solum symptoma morbi est, atque, ut P. FRANK praeclare ostendit, cum hepatis functionibus turbatis cohaerere solet. Ex quo illustratur, quod FALLOPIA [5]) refert, mulierem, quoties irata fuerit, erythema in naso nactam esse; nam ira praecipue in systematis hepatici functionibus bilisque secretione vehementius concitandis se prodit [6]). Quid, quod erythema ex idiosyncrasiis supra descriptis profectum fortasse item hepar significat? Haematosin cibis illis admodum perturbari dubium non est; verisimile autem est, potissimum

---

1) OSIANDER *Entwickelungskrankheiten* Vol. II. p. 323. sqq.

2) LINNAEI Amoenitates academicae Vol VIII. p. 176. ed. SCHREBER.

3) *Sammlung auserles. Abhandlgg. z. Gebr. prakt. Aerzte* Vol. XVIII. Fasc. 3. p. 472.

4) PFAFF *Mittheilungen* Fasc. 5. et 6. 1836. (SCHMIDT *Jahrbb. der gesammten Medicin Jahrg.* 1836 Vol. XII. p. 58.)

5) H. CLOQUET *Osphresiologie* cap. 13. p. 217. vers. German. (*Weimar* 1824.)

6) STARK *Allg. Pathol.* Vol. I. §. 345.

in bilis secretione causam, quae iam quidem nos latet, consistere. Observationes in talibus hominibus faciendae, quamdiu post cibos assumtos erythema appareat, forsitan certiora docebunt. — Nonnullis cibi iidem illi blennorrhoeam partium genitalium faciunt. Schippers [1]) feminam, quae fluore albo perpetuo laboraverit, ex usu lapidum cancrorum vehementissimas haemorrhagias uteri expertam esse retulit; in aliis ex fragis choleram profusissimam exoriri [2]). Hic quidem in hepatis affectione genitalia vel tractus intestinalis cutis vices crisi metastatica susceperunt, quippe quorum intimus, adhuc quidem minime satis cognitus, consensus est.

§. 11. Ad lienem vasaque illi vicina iam Ol. Borrichius [3]) idiosyncrasiam retulit. Haec verba eius sunt: „Maria monetaria, postquam cruciarium ignotum sibi vidisset vectabulo humili alligatum in ludibrium circumferri per plateas, quoties id genus vehiculi conspexit, oborto statim mixtis singultibus fletu amarissimo fata et fortunas suas deplorabat, haud aliter ac si ipsa mox in numellas et compedes esset abducenda: causamque a me, qui medicinam aegrae faciebam, interrogata nullam valuit expromere, nisi extorqueri sibi violenter hos animi motus, et remedium mali a me postulari. Saepe inter laetissimos mecum sermones subito his lacrymis et suspiriis oppressa aegre sibi restituta est. Tandem

---

1) L. c. p 471. sqq.

2) Ibid. p. 472.

3) Th. Bartholini Actt. med. Hafn. Vol. II. Obs. 86. p. 207.

expiata lienis et vasorum illi vicinorum amurca cessit malum chalybi, quod toties inspecto signo recruduerat." Idiosyncrasiae in hystericis lienis culpa haud dubie frequentissime exsistunt.

§. 12. De renum idiosyncrasiis primus Schultz [1]) locutus est, quum homines aliquot, praecipue lithiasi vel arthritidi obnoxii, caseo vetere comeso dysuria afficiantur: veterem autem caseum multum ammonium habere; quare coniecturam addit, ammonium uricum eo componi. Dysuriam alia quoque alimenta animalia item ammoniacalia facere.

§. 13. Ex utero et graviditate excessus sensibilitatis creberrime oriundos esse supra dictum est; iam iterum graviditas propter idiosyncrasias ex sanguine forsitan exponendas memoranda. Gravidarum autem sanguinem qualitate a cetero differre satis inter physiologos constat.

§. 14. Nasse V. Cl. nuper mihi narravit, rusticum se novisse, qui aratrum secutus temperare sibi non potuerit, quominus terram recens vomere fissam subinde manibus contrectaret. Quo viro postea mortuo et dissecto cordis vitium apparuisse. Itaque vitio gravissimi organi haematopoetici sanguis in homine illo adeo mutatus fuisse videtur, ut istinc insoliti animae quoque appetitus oriri potuerint.

Quomodocunque res ista se habuit, experientia auctore id quidem fixum stat, morbos quosdam a sanguinis circuitu in organorum dictorum aliquo

---

1) L. c. p. 629.

retardato repetendos paene semper animi pressi affectiones comites habere [1]); nec mirandum igitur, quod sanguine vitioso etiam idiosyncrasiae in animo provocentur. Quodsi quando zoochemia chemicae differentiae, qualitates et mixturae sanguinis detegentur, cum dyscrasiae omnes, tum vero idiosyncrasiae novam accipient lucem, multaeque illustrabuntur, quarum natura et origo nunc intelligi non potest. Interim in iis nobis acquiescendum est, quae Lenhossek [2]) ita extulit: „Analysi chemica quidem ostendi non potest, sanguinem in variis differre corporis partibus; evincunt tamen variae secretiones, quae in diversis accidunt organis, atque nutritio partium dissimilarium et revecti in massam universam per vasa lymphatica humores eandem sententiam.“

§. 15. Iam satis mihi de sedibus formisque, quibus singulae idiosyncrasiae prodire possint, dixisse visus, quaestiones quasdam magis generales attingam.

Quaecunque idiosyncrasia signum organismi persona admodum distincte expressa praediti est. Iam autem quum lex physiologica organismorum epitellurium sit, quod quo minor generum et specierum varietas est, eo magis singulorum personae inter se differant, Carus [3]) modo in mammalibus, quorum sensibilatas homine aliquantum exculta fuerit, idiosyncrasiae exempla reperiri posse arbi-

---

1) Ph. C. Hartmann *Der Geist des Menschen* (*Wien* 1820) p. 242.
2) Ei. Physiolog. medicin. Vol. II. p. 50.
3) Ei. *System d. Physiol.* Vol. I. §. 241.

tratur. Qua in re mihi longe secus videtur; nam quum Carus idiosyncrasia homines ceteris animalibus praestare putare videatur, ego vero idiosyncrasia ad animalia eos relabi censeo. Est enim idiosyncrasia morbi dispositio, quamvis intra limites sanitatis sita; quodcunque autem ad morbum pertinet, in peius, ad bestias nos trahit. Itaque idiosyncrasiae, quae hominum modo paucis propriae sunt, animalium totis speciebus et generibus communes reperiuntur. Quumque inter homines, qui non infantes sunt, ac bestias praeter alia hoc quoque intersit, ut illi ratione agant, hae instinctu, homines vero, qui simili instinctu insignes sunt, ut quum aegroti febri nervosa gastrica iacentes repente cibum insolitiorem petunt eoque sanantur, idiosyncrasia uti dicuntur. Conf. Berthold *Physiologie* Vol. I. §. 171. Notum est, capras cicuta impune vesci; idem de anu Atheniensi Galenus [1]) retulit, de aliis venensis alii scriptores medici [2]). Hystericae et hypochondriaci, qui instar suum faeces appetebant, subinde observati sunt [3]). Homines sunt, praecipue mulieres parturientes, qui fortissimis emeticis propinatis non vomunt; commonefacere illi possunt naturam ruminantium et equorum, quae nunquam vomunt, scilicet, ut Haller [4]) docet, pro-

---

1) De simplic. medicament. temperam. ac facultat. III. cap. 18. (Tom. XI. p. 601. Opp. ed. Kühn.)

2) Zacutus Lusitanus De praxi medic. admirand. III. Obs. 108.

3) Supra p. 16.

4) Ei. Elementa physiologiae corporis humani Vol. VI. p. 291. ed. Lausann.

pter oesophagi obliquam in ventriculum insertionem et propter musculorum abdominis ac diaphragmatis debilitatem. Quaedam animalia, velut canes, sonus quosdam, nonnulla omnino musicam non ferunt; quae quidem antipathia item in hominibus occurrit, sed horum exempla multo rariora sunt [1]. Tissot [2]) puerum narrat ex adspectu coloris rubri semper epileptice convulsum esse. Scilicet color idem est, ex quo in multis animalibus, in bubus et avibus nonnullis, cerebri affectiones ad furorem augendae excitantur. Qui plura exempla cupit, legat Osiandrum *Handb. der Entbindungskunst* Vol. I. p. 410. sqq. not. et P. Scheitlinum *Versuch einer vollständigen Thierseelenkunde* Vol. II. (*Stuttg. und Tübing.* 1840) p. 297. sqq. 372. sqq.

§. 16. Idiosyncrasiae, quod genesin attinet, aut connatae aut acquisitae sunt. Connatae semper verae sunt idiosyncrasiae, quae ex idea certa organismi alicuius progressae, pars integra eius, ut natae cum eo sunt, ita nonnisi cum totius organismi dissolutione aut saltem penitiore metamorphosi aliqua resolvuntur. Atque connatae istae idiosyncrasiae quam arcto vinculo vitali cum toto organismo connexae sint manifestissime inde apparet, quod nonnulli rebus noxiis, immo venenis, absque periculo vescuntur, ac rursum cibi, quos plerique homines sine ullo incommodo comedunt, nonnullos haud aliter ac venena afficiunt. Id quidem ea probant

---

1) Stark *Allg. Pathologie* Vol. I. p. 344.

2) *De l'epilepsie* p. 154.

exempla, quum comesa semper aut statim evomuntur, aut paene illico flagrantissimum exanthema faciunt [1]).

§. 17. Dispositio naturae humanae hereditaria ut in plurimis rebus, ita in idiosyncrasia quoque maximi est momenti. Familiae sunt, in quibus certae idiosyncrasiae, certae antipathiae ex longo tempore hereditariae, ubi igitur dispositio non solum connata, sed congenita est. Ballonius [2]) de illustri quadam, quae olim Parisiis fuerit, familia refert, ex multis liberis alios aliquid a patre, alios a matre nativum retinuisse: patrem minimo medicamento purgatum esse, idem liberis paternum quid habentibus accidisse; qui matri fuerint similiores, nonnisi fortibus medicamentis commotos esse, quum simile quid mater passa fuerit. Fournier [3]) narrat, mulierem ex minima cutis laesione maximas haemorrhagias cum summa virium defectione perpessam esse eandemque idiosyncrasiam filiis suis tradidisse, filias autem ea immunes fuisse. Ipse novi feminam, cui res futuras per somnia divinandi, quin oculis videndi facultas erat; tres filiae eius eandem facultatem habent, filii ac privigna minime habent. Rursus alia mulier, quae, dum quartum gravida erat, nec saccharum neque lac tulerat, ante et

---

3) Moehring De mytulorum quorundam veneno, aegrot III., in Halleri Disputatt. Tom. III. p. 191.

2) Ei. Epidem. I. p. 38.

3) *Dictionaire des sciences médicales* Vol. IV. (*Paris* 1813) p. 190. Cf. H. Cph. Rieken *Neue Untersuchungen in Betreff der erblichen Neigung zu tödtlichen Blutungen. Frankf. a. M.* 1829.

post graviditatem ista optime ferebat, infantem peperit, qui saccharum vel lac sumtum semper evomuit [1]. Conf. Ephemer. Academ. Nat. Curios. Dec. II. Ann. III. Obs. 106. p. 266. Ann. VIII. Obs. 169. p. 419. Nec vero morbi dispositio eadem semper ex parentibus in liberos transfertur: nonnunquam transfertur quidem, sed alia dispositio. Lex similis in hereditariis idiosyncrasiis obtinet. Novi hominem, qui quum simillimam patris corporis constitutionem habeat, ipse poma, quae patris natura respuerat, perbene ferre potest, sed minime coffeam, quam tulerat pater.

§. 18. Idiosyncrasiae, quae non connatae sunt, acquisitae sunt, partim mutationibus corporis pathologicis, partim vi imaginationis.

Frequentissime idiosyncrasiis insignes graviditates sunt; in quibus quum legitime totius vita organismi certo quodam modo aucta esse debeat, frequentissime unus alterve vitae animalis factor, imprimis sensibilitas, adeo modum excedit vel etiam torpidus iacet, ut inde antipathiae, malaciae atque picae plurimae oriantur. Hinc symptomatum graviditatis minus certorum fastidia eorum ciborum ac potionum sunt, quae mulieres ante graviditatem quotidie et cupidissime sumserant. Si verum est, quod Osiander pater [2] contendit, cibos potusque plerumque eosdem esse, quos mulieres brevi ante conceptionem sumtos paullo post iam crudos vo-

1) Koechling in Hornii *Archiv* 1835 *Spth. Octb.* (Schmidt *Jahrbb. d. gesammten Medicin Jahrg.* 1836 Vol. XI. p. 49.)

2) Ei. *Hdb. der Entbindungskunst* Vol. I. p. 407.

muerint, utique nimia sensibilitas causa subest, quae ex sola recordationis et imaginationis vi tam facile vomitiones concitat. Quaestionem de malaciis picisque gravidarum ad physiologicas leges reducendis iam supra attigi; exempla eiusmodi larga manu scriptores suppeditant, quos KILIAN V. Cl. [1]) laudat. Unum addam. Femina Romana, quae adeo a casei odore abhorruit, ut quando cultro, quo caseus sectus fuerat, panem inscia dividerat, paene in lipothymiam incideret, gravida tamen ubi facta bis terve, casei odore magnopere oblectabatur, ut eum, etiam si non adfuit, semper odoraretur, quin avidissime comederet [2]). Item graviditate quum propriae psychicae affectiones gignantur, in nonnullis mulieribus facultas futura animo praesentiendi observata est. Cuius rei luculentius non novi exemplum, quam quod NIEMEYER [3]) enarravit, de femina scilicet, quae novem partus prosperrime enixa iam decimum gravida mortem sibi instare certissime praedixit, et, quum decimum quoque infantem feliciter edidisset, repente puerpera ex ingenti uteri haemorrhagia obiit.

Quod de malaciis gravidarum valet, item de febribus nervosis et intermittentibus ex causa gastrica valet. In his quoque interdum subitus appetitus oleris acidissimi vel lactucae aliarumve rerum aci-

---

1) Ei. *Die Geburtslehre von Seiten der Wissenschaft u. Kunst dargestellt* Vol. I. p. 186.

2) Ephemer. Acad. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. Obs. 135. p. 264. ed. II.

3) Ei. *Zeitschrift für Geburtshülfe u. praktische Medicin* Vol. I. Fasc. 1. (*Halle* 1828) p. 168. sqq.

darum, interdum pultis farinariae: animus éxpletur et insequitur sanitas. Homo, qui sanus vinum non gustare, ne odorem quidem vini perferre poterat, febre maligna correptus flagrantissimum eius appetitum sensit et affatim vinum hausit; postea sanatus vini, ut antea, abstemius erat [1]). In libris de febribus idiosyncrasias istas mirifice neglectas vides. Horn [2]) verbo mentionem earum fecit, sed nihil de utilitate medica dixit.

Chlorosis [3]), hysteria [4]) et hypochondria multas easque diversissimas idiosyncrasias comites fere habere solent. Quae quidem aegritudines ut secundum naturam suam admodum differunt ac saepenumero diversissimis modis complicatae obveniunt, ita variae formae idiosyncrasiae haud dubie organa sua significant; quo fit, ut diagnosis aegritudinum istarum haud paullum luminis inde accipiat.

Mirum quantum mollior et delicatior educatio totam corporis humani, praesertim feminei, constitutionem mutare et enervare potest. Nobilium ac ditiorum sunt, qui, quum quemlibet affectum ingratiorem studiosissime vitare consuessent, iam quidem corpore nimis sensibili et effeminato utuntur, in minima incitamenta externa vehementissime agente. Tales homines, mulierculae tenellae, plurimis idiosyncrasiis laborare solent [5]).

---

1) Ephemer. Acad. Nat Cur. Dec. II. Ann. IX. Obs. 180. p. 346.

2) Ei. *Archiv f. medicin. Erfahrung* Vol. V p. 104.

3) Naumann V. Cl. *Handb. der medicinischen Klinik* Vol. VIII. 2. p. 223. sq.

4) Ibid. p. 256.

5) Bartels *Pathogenet. Physiologie* p. 229. 325.

§. 19. Idiosyncrasiae autem non solum corporis morbis comparantur, sed anima quoque saepe in culpa est. Tanta vis imaginationi inesse potest. Quare quum imaginationem idea fixa, quae dicitur, occupavit, adeo haec sensum communem regere potest, ut permirificae idiosyncrasiae existant. Educatio vitiosa, qua filiis animalium quorundam vel rerum aversatio inculcatur, creberrime psychicae idiosyncrasiae mater est. Sic mulier suam recentis butyri antipathiam filiis suis primum ea liberis ita inseruit, ut nauseosum butyri odorem saporemque identidem iis praecineret [1]). Experimentum, quo cognoscatur, utrum idiosyncrasia aliqua imaginationis sit necne, saepe hoc optime institui potest, ut res abominata, felis, aranea etc. inscio homine prope eum feratur: si homo nihil incommodi inde sentit, antipathiam facultatis noxiae, quam illis tribuere solet, ideae deberi apparet; sin minus, si forte olfactus vel totius sensibilitatis repentina et mira affectio quaedam, si animi anxietas sequitur, idiosyncrasia in vera systematis nervosi vel partis vel totius dispositione consistit [2]). Psychologi est quaestionem hanc fusius tractare.

§. 20. Tantum de genesi. Num sexus aliquod in idiosyncrasia momentum habet? Sic sane videtur, siquidem corpus femineum sensibilius nervinis idiosyncrasiis opportunius esse videtur, quam virile [3]), et graviditas morbique feminei sexus idiosyn-

1) Schultz l. c. p. 422.

2) Marc l. c. p. 492.

3) Ibid. p. 496.

crasiis valde distincta esse solent. Animus quoque muliebris imaginationibus et idiosyncrasiis imaginatis magis obnoxius est.

Intimum, quod maritos iungit, connubium interdum permirabiles sympathias facere cum somnia docent, quae marito somniata uxor accepta ab eo continuat, tum vero singulare illud et iocosum exemplum, quod P. Rommel [1]) tradidit his verbis: „Civis cuiusdam Ulmensis honesti et conspicui uxor, quoties accidit, ut maritus negotiorum expediundorum gratia, vel alias, diversorium vel etiam amicum domi visitat, praeterque institutum et propositum ad bibendum invitatus vel persuasus nolens volens se inebriat et, quod ipsi tunc familiare est, ob crapulam evomit: tum uxor domi, rei et vomitionis huius prorsus nescia, primo nauseam sentit, postea vero ob singularem ventriculi cum mariti ventriculo sympathiam vel antipathiam itidem vomit, et non minus quam maritus ipse affligitur —. Hoc pro signo pathognomonico certissimo habet, si illa praeter rationem ad vomendum instigatur, maritum, etiam extra urbem profectum et alibi morantem, crapula et vomitu molestari: quod etiam examen subsequens et temporis collatio verum fuisse saepissime comprobavit.“ In omnibus eiusmodi, quotquot memini, exemplis auctores sympathiae viri, nunquam mulieres fuerunt.

Saepe vitia, quibus idiosyncrasiae nascuntur, aetate aut producuntur aut exstinguuntur. Ita ple-

---

1) Ephemer. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. VII. Obs 215. p. 403.

rique infantes medicamina saporis austeri, amari, salsi vel acidi pertinacissime respuere solent [1]). Homo quidam usque ad octavum aetatis suae annum nullam carnem gustare potuit [2]). Civis Hafniensis quoties iuvenis odorem malorum citriorum perceperat, in colicam inciderat; idem mox citriis sine colicis cruciatibus optime utebatur [3]). Conf. Wagner l. c. p. 75. Itaque quamvis connatae sint idiosyncrasiae, spes tamen in quibusdam est, fortasse eas nova aetatis periodo exstinctum iri; velut puerorum antipathiam cancrorum et piscium, dummodo adultiore aetate vis tractus intestinalis digestoria corroborata fuerit. Contra ea de quodam relatum est, eum circiter a decimo quinto aetatis anno vini ne odorem quidem pati aut quidquam cibi cum vino cocti assumere potuisse [4]). Io. Paterson Hain [5]) virum se antipathiam in mercurium seu vivum seu praepaparatum habere scribit, qua antea non fuerit usus; iam vero si mercurius in conclave inferretur, vel si veniret eo, ubi prope ab eo esse posset, vel si etiam tractaret illum manibus, illico manus et faciem prurire, rubere et intumescere, quin aliquando inter digitos epidermidem recedere. Denique ut organismus in quavis graviore evolutionis periodo irritamentis externis morbosisque reactionibus maxime

---

1) Horn *Archiv f. medizin. Erfahrung* Vol. V. p. 106.

2) Ephemer. Acad. Nat. Curios. Dec. I. Ann. I. Obs. 207. p. 309. ed. II.

3) Ibid. Dec. II. Ann. I. Obs. 72. p. 176.

4) Ibid. Dec. II. Ann. IX. Obs. 180. p. 346.

5) Ibid. Dec. I. Ann. I. Obs. 118. p. 195.

opportunus est, ita aegritudines, quae idiosyncrasiis ditissimae sunt, chlorosis, hysteria, pyromania, iis potissimum aetatibus obveniunt, quibus vita mulierum genitalis crisin gravissimam experitur, pubertatis aut nascentis aut denascentis tempore. Conf. NAUMANN V. Cl. *Ueber erbliche Krankheitsanlage und Idiosynkrasie* [1]).

Num coelum quoque ad quasdam idiosyncrasias fecere potest? Facit haud dubie. BARTHOLDI in descriptione itineris sui in Graeciam facti retulit recentioresque peregrinatores confirmant, Romae odores fragrantiores invisos esse, in Sicilia admodum placere. Quin femina Romana olei rosacei, quod Russus diffuderat, fragrantia extemplo exstincta fertur. Quo magis laudes miror, quibus veteres poetae Latini rosam, unguenta in conviviis aliosque odores celebrarunt. In terrae regionibus frigidis homines, instar noctuarum, nyctalopes, in calidissimis hemeralopes sunt. Rationem physiologicam retina tenet plus aut minus iusto sensibilis [2]). De morbo Indiae Asiaticae insulis familiari, cui qui sub luna dormiant implicari feruntur, iam supra dixi. Visionibus et deuteroscopiis nonnisi vastarum humidarumque solitudinum incolae, velut Scotiae superioris, Groenlandiae, omnino septentrionalium, opportuni esse solent; de quo SAM. JOHNSONI iter ad insulas Scotiae occidentales conferendum. Indi

---

1) *Med. Zeit. v. Verein für Heilk. in Preussen* 1835 nr. 46. (SCHMIDT *Jahrbb. d. gesammten Medicin Jahrg.* 1836 Vol. XI. p. 162.)
2) SCHULTZ l. c. p. 633.

aliique populi meridiani carnem fastidiunt [1]). A. AB HUMBOLDT [2]), C. MARTIUS cum pluribus aliis totas regionum tropicarum nationes, praesertim Americanas, pinguecula terrae argillaceae specie vesci narrant. Quos quidem chthonophagos SCHULTZ [3]) quod famis temporibus summa victus inopia cruciatos insolito illi terrae victui se assuevisse eumque inde retinuisse opinatur, viro doctissimo assentire noli. Coelo potius terrae victum tribuendum esse primum hoc significari videtur, quod in nostris regionibus iisque, quae longe frigidiores ac steriliores sunt, fere nonnisi pueri scrofulosi et gravidae terra vescuntur et impune vescuntur; dein vero quod similem picam eorum pueri percipiunt, qui in calidae zonae regiones emigrarant. Succus gastricus fortasse ibi acrior, quam in zonis minus calidis, ut ita appetitus terrae minus solubilis illustrandus sit.

Siderismum, si quid aliud, casus docent, quos FOURNIER collegit: unus feminae honestae Parisiensis, quae momento occasus solis repente animo defecit, nec prius sui compos reddita est, quam sol coelo rediit, alter BACONIS Cancellarii est, qui item ab lunae occasu usque ad ortum eius animo linqui solebat. De idiosyncrasia lunari addas mea p. 11.

---

1) Ibid. p. 626.

2) Ei. *Ansichten der Natur* Vol. I. p. 167. sqq. ed. II. Cf. HUNTER *Bemerkung üb. die Krankheiten der Truppen in Jamaica* (*Leipz* 1792) p 233. C. HOHNBAUM *Die Erde essenden Otomaken, ein Beitrag zu der Lehre von der Verdauung*, in HARLESSII V. Cl. *Jahrbb. der teutschen Medic. u. Chirurgie* Vol. III. p. 259. sqq , et quos LENHOSSEK laudat Physiolog. medic. Vol. III. p. 13.

3) L. c. p. 631.

Denique hic electricitatis et magnetismi vires memorandae. Quarum quantum momentum in idiosyncratica systematis nervosi dispositione sit vel pauca illa significare possunt, quae supra p. 11. scripta sunt.

§. 21. Quaestionibus aetiologicis istis praemissis, quomodo medicus idiosyncrasias in morborum curatione respicere debeat, facile apparebit. Qua de re inter medicos ambigitur quidem, quum alii eas plurimi, alii paene nihili faciant. Perperam faciunt, qui omnes idiosyncrasias plurimi faciendas putent; sed magis errant, qui eas tanquam imaginationis commenta plane nihil curent. Si frequentissimum medicorum vitium est, quod in morbis ad medicaminum symptomata et ad mala quoque symptomata ex medicamine profecta animum parum convertant, quoties ita in iis homnibus peccetur, qui dispositione idiosyncratica utuntur! Verum autem medicum tantum abest talis dispositio ut latere possit, ut is symptomata idiosyncrasiae causae suae statim assignet atque levissimam saepe gravissimarum actionum causam facile removeat. Ita Darwin, quum ad puellam nobilem quandam epilepticam vocatus primo causam epilepsiae nullam eruisset ac dormiturus in lecto cubaret, subito surrexit, aegrotam adiit quaesivitque, num ei fonticulus positus esset. Quod ubi illa affirmavit et fonticulum ostendit, medicus taciturnus pisum ex vulnere eiecit: nec ullus exinde paroxysmus rediit [1]).

---

1) Henry Halford *Essays and orations*. 2. *edit*. *London* 1833.

Quare medici prudentis est eos homines, qui sensibiliores videantur, facile igitur idiosyncrasiis distincti esse possint, ante quam certa medicamina, opium vel mercurium vel purgantia drastica vel aethereo-oleosa vel aromatica [1]), praescribat, diligenter inquirere, an unquam aliquid incommodi inde perceperint. Cautissime maxime in infantibus medicamenta eiusmadi adhibenda sunt. Camphorae idiosyncrasiam infantibus sollemnem esse Tourtual [2]) animadvertit: faciem inde pallidam, infantem inquietum, anxium fieri, dyspnoeam exsistere, totam conditionem celerrime depravari. Haec igitur si vitare poterit, medicus vitabit. Quum autem saepissime medicamine aliquo indicato alia, quibus idem effectus sit, supponi non possint, hic quidem Horn [3]) auctor est, tales antipathias, nisi verae sint, sed solum ex imaginatione aegroti profectae, prorsus nihil curandas esse.

§. 22. Longe aliter medicus iis idiosyncrasiis uti debet, quae cum morbis exstiterunt, velut malaciis ac picis, quae graviditatem vel febres nervosas gastricas vel chlorosem vel hysteriam comitantur. Nam istae certae alicuius conditionis tractus intestinalis, praesertim ventriculi, indicia lucu-

---

1) A. Borrichius in Th. Bartholini Actt. med. Hafn. Vol. II. Obs. 86. p. 206. Ephemer. Acad Nat. Cur. Dec. IV. Obs. 71. p. 132. Schippers in *Sammlung auserles. Abhandlgg. z. Gebrauche prakt. Aerzte* Vol. XVIII. Fasc. 3. p. 472. sqq.

2) Ei. *Praktische Beiträge zur Therapie der Kinderkrankheiten* (*Münster* 1829) p. 23.

3) Ei. *Archiv f. medizin. Erfahrung* Vol. V. p. 92. sqq.

lentissima sunt, et optime ipsae viam commonstrant, qua vitiosa conditio illa corrigatur. Quare quibus succus gastricus copia minore paratur, qui ideo acida appetunt, acida habeant. Haec etiam conditio intelligenda, quum Dioscorides [1]) succum citri, Plinius [2]) „praegnantibus in malacia citreorum semen" et altero loco [3]) „absinthium aceto addito praecipi" scribat. Sed Plinius minus recte cum aceto absinthium iunxit, quod in malacia locum quidem habet, alia autem in conditione. Quumque inopia gastrici succi nonnisi morbi productum, non morbus ipse sit, simul causae, quare sanguis minus ad stomachum, magis ad alia corporis organa intendat, diligentissime ratio habenda, causaque, si fieri potest, tollenda est. Ubi vero irritabilitate ventriculi valde adaucta succus gastricus iusto plus secernitur, ubi pyrosis rerumque absorbentium appetitus est, primum cibi acidi ac pingues, vinum austerum, cepae, allium et similia vitanda, tum vero absorbentia remedia danda sunt. Hic igitur magnesiae ustae et albae, calcariae carbonicae, natro carbonico locus aptissimus est. Tertium si natura stomachi sensibilitate iacente irritantia cuiusvis generis concupiscit, si absurda, quin horribilia avide devorantur, medicamina, quae irritantium ac roborantium nomine comprehendi solent, indicata sunt; qualia sunt aetheres, vina fortia, radix serpentariae, valerianae

1) De Mater. med. I, 166.

2) Ei. Histor. Nat. XXIII. c. 6. sect. 56

3) Ibid. XXVII. c. 7. sect. 28.

minoris, zingiberis, calami aromatici, rhei, cortex cascarillae, chinae atque, quod summum omnium est, ferrum [1]). Plinius [2]) absinthium et corticem granatorum seu malicorium gravidarum malaciae expeti ait.

Causae psychicae idiosyncrasiae insigne saepe seu prohibendae seu tollendae eius indicium tenent. Nam si constat, certas abnormes corporis actiones ex vehementiore systematis nervosi commotione, hanc autem ex animo, ex imaginatione pendere, totus iste actionum complexus, i. e. animi affectus corporisque actiones productae animo, creberrime ita tollitur, ut affectus illi avertantur. Imaginationes igitur cum sensus alicuius affectione coniunctas paullatim corrigere oportet [3]). Quam perniciosae tales imaginationes fieri possint, facillime vesaniam inde perversa, quae dicatur, idearum associatione exsistere, Marc [4]) perspicue ostendit.

§. 23. Medicum idiosyncrasias aegroti nosse non solum idcirco iuvat, quod multorum malorum fontes vitare potest, sed quia iuvare potest in loco eas sollicitare. Hoc item Marc [5]) animadvertit, unamque ex aegrotis suis, quoties alvus ei purganda sit, modo iusculi aliquid ex brassica parati sorbere scri-

---

1) Naumann V. Cl. *Handb. d. medicin. Klinik* Vol. VIII. 2. p. 241. sqq. 300. sq.

2) Ibid. XXIII. c. 6. sect. 57. XXVII. c. 7. sect. 28. Cf. Paulus Aegineta I, 1.

3) Schultz l. c. p. 621.

4) Marc l. c. p. 494.

5) Ibid. p. 497.

bit. Simile, sed etiam memorabilius exemplum in Ephemeridd. Acad. Nat. Curios. [1]) his verbis narratum est: „Mulier quaedam Helmstadiensis quoties medicamento purgante opus habebat, assumtis iusculi carnis vitulinae aliquot cochlearibus eum experiebatur effectum, qui alias ab aloeticis, scammoniatis et aliis catharticis expectari solet.“

§. 24. Restat, ut memorem, in iure idiosyncrasias novisse ac respicere magni momenti esse. Primum violatio vulgo non magni habita letalis homini fieri potest, quod idiosyncrasia utitur. Deinde quum constet, conditiones corporis esse, quibus animus quoque certo modo patiatur, animum physicis causis in nefarios appetitus agi posse, dubium non est, quin quaestiones de iure culpam imputandi saepissime inde circumscribendae sint. Hic rursus organa genitalia muliebria imprimis respici oportet. Sic menses suppressi pyromaniam facere possunt, qua mulieres ex incendiis faciendis summam percipiunt voluptatem. Ac magis quidem in graviditate, sensibilitate abnormi modo aucta vel etiam perversa, in partu et post partum doloribus vehementissimis, rapidissimis, cum toto organismo animus quoque simili corpori impetu agitatur, ut propriae maniae formae inde prodire possint. Itaque forensem medicum meminisse oportet, gravidas nonnunquam pica vix superabili pecuniae aliarumque rerum alienarum urgeri. Quin caedes haud raro gravidarum monstrosa sanguinis cupiditate, h. e.

1) Dec. II. Ann. VIII. Obs. 169. p. 419.

mania homicida, in foro excusare licet [1]). Nec vero in gravidis solum tam immanis caedium libido observata est: similis in aliis quoque propter singularem carnis humanae appetentiam obvenit. Ita Prochasca [2]) puellam Scoticam, anthropophagi filiam, una cum patre deprehensam refert, quum infantes rapturi essent; a patre eam remotam et loco alio educatam esse, tamen appetitum carnis humanae postea quoque retinuisse. Plura exempla Wagner l. c. p. 77. contulit.

Tantum.

---

1) Osiander *Hdb. der Entbindungskunst* Vol. I. p. 414. Wigand *Die Geburt des Menschen*, *herausg. v.* Naegele, (*Berl.* 1820) Vol. I. p. 80. sqq. et scriptores forenses, quos Kilian V. Cl. *Die Geburtslehre* Vol. I. p. 186. laudat. Add. Reil *Fieberlehre* Vol. IV. p. 60.

2) Ei. Annotatt. academ. Fasc. III. c. 2. §. 7.

THESES CONTROVERSAE

AD DISPUTANDUM PROPOSITAE.

I. *Medicus naturae minister, non magister est, et cum natura, quae optima morborum medicatrix, operari et agere debet.* (FRIDERICI HOFFMANNI.)

II. *Rectius agit, qui in morbo nihil agit, quam qui sine diagnosi agit.*

III. *Graviditatis extrauterinae diagnosis in muliere viva* HEIMII *doctrina minime satis illustrata est.*

IV. *Delirium tremens novum morbum non esse, ex loco* SENECAE *Philosophi Epist. 24. med. apparet.*

V. *In tenotomia facienda situs partium anatomicus maxime respiciendus est.*

VI. ASTLEY COOPER *perperam negavit, collum ossis femoris fractum callo coniungi posse.*

VII. *Nomina maximum in medicina malum sunt.*

VIII. Sarcoptes hominis non scabiem facit, sed nascitur ex scabie.

IX. Tunica IACOBI bulbi oculi serosa est.

X. Veri amor princeps virtus medici.

IX. Instans partus non prohibet, quominus vesica urinaria pungatur.

XII. Syphilis recens morbus non est.

V I T A

CAROLI BERTHOLDI HEINRICHII

BONNENSIS.

Natus sum ego d. 17. m. Aprilis a. MDCCCXIX. Carolo Friderico Heinrich, Litterarum Antiquarum Professore Publico Ordinario Bonnensi, et Iohanna Dorothea Francisca e gente Schroedteriana parentibus, iam ereptis mihi intra paucorum annorum spatium fato acerbissimo. Primis litterarum elementis quum partim in schola evangelica publica, — nam evangelica fide sum educatus, — partim domi privata disciplina imbutus essem, duodecim annos natus inter Gymnasii discipulos, quod hic Bonnae floret, receptus sum. Ibi igitur per quinque annos artibus, quibus aetas puerilis impertiri debet, a doctissimis optimisque magistris eruditus sum; imprimis Schopeni et Lucae, philologorum clarissimorum, et Liessemi, Mathesis et Physices Professoris, viri peregregii, semper gratissimo animo recordabor. Dein ornatus maturitatis testimonio inde dimissus et 14. Octb. MDCCCXXXVI. a Freytagio V. Cl., tum Rectore Magnifico, in civium numerum Regiae Litterarum Universitatis Rhenanae relatus sum, artis medendi studio me dediturus. Sed Pater carissimus, quum ipse optime sciret, quantam vim habeant elegantiorum studia litterarum in excolendis animis iuvenilibus, auctor mihi fuit, ut primo apud Illustrissimum Philosophorum Ordinem nomen profiterer, Decano Spectabili Trevirano V. Cl., eorumque lectionibus interessem. Quare primo studiorum academicorum

anno more maiorum totus eram in suavissimis philologiae ac naturalium doctrinarum studiis, Seminarii Philologici, quod Patre et Naekio moderatoribus laetissime florebat, eodem tempore sodalis. Iam vero inscriptus in Amplissimi Medicorum Ordinis album a Decano Spectabili Harlessio V. Cl., avunculo meo, quod nomen nescio maiore in honore an amore habeam, quum vix ipsas artis salutiferae disciplinas attingere in easque acrius incumbere coepissem, tristissima Patris morte splendidissimum vitae meae sidus exstinctum est. Multa autem reliquit in scripto Pater meus ita comparata, ut ad edendum maturata viderentur; quorum edendorum ne officio deessem, quum partim pietas, partim litterarum iuvandarum studium hortaretur, prodierunt cura mea ante biennium Satirae Iuvenalis ex emendatione et cum commentariis Parentis mei. Quumque sanctae memoriae eius et ceteris viris, quibuscunque ducibus operam curamque in bonis litteris posueram, hoc quoque debere mihi videbar, ut quid in litterarum hoc profecerim genere publice ostenderem, dissertatione de Chryse in Philoctete Sophoclis scripta VII. Decembris MDCCCXXXIX. summos in philosophia honores legitime impetravi. Anno eodem Ordo Medicorum hanc proposuerat quaestionem: „Exhibeatur nova atque accurata methodi antiphlogisticae recensio, ita ut praesertim satius et distinctius eluceat antiphlogisticorum notio, atque omnium medicaminum ratio habeatur, quae experientia duce ubicunque affectionibus inflammatoriis conduxerunt.“ Rem aggressus in historica potissimum quaestionis parte operam collocavi ac praemium tuli. Iam vero quinquennio in studiis academicis peracto dissertatione de idiosyncrasia, tenui qualiscunque industriae meae specimine, ab Amplissimo Medicorum huius Academiae Ordine summos in medicina et chirurgia honores me consecuturum spero.

Restat, ut virorum clarissimorum, quibus per quinquennium praeceptoribus usus sum, recenseam nomina. Philologos igitur Patrem et Naekium, viros desideratissimos, atque Welckerum V. Cl. audivi, Schlegelii V. Cl. historicas lectio-

nes, philosophicas Delbrückii, Calkeri, Fichtii VV. Cll. Physicen Plücker V. Cl., botanicen Treviranus V. Cl., zoologiam Goldfuss V. Cl., mineralogiam Noeggerath V. Cl., chemiam Bischof V. Cl. me docuerunt. In medicinae autem variis disciplinis praeceptores mei fuerunt: Mayer et Weber VV. Cll. in anatomia corporis humani et generali et speciali, Mayer praeterea in physiologia; Harless V. Cl. in historia medicinae, in theoria medicinae, in hygieine et diaetetice, in toxicologia, de electricitatis vi et dignitate in morbis, de Hippocratis Iureiurando, de Lucretio, de Celso; Nasse V. Cl. in therapia et generali et speciali, in physiologia, in anthropologia, de educatione medici, de experientia et experimento; Bischoff V. Cl. in pharmacologia, in doctrina formulas concinnandi, in medicina forensi, de epizootiis; Naumann V. Cl. in encyclopaedia et methodologia medicinae, in pathologia generali et semiotice, in balneologia, de historia medicinae seculi decimi noni; Wutzer V. Cl. in chirurgia generali et speciali, in ophthalmiatrice, in anatomia chirurgica, in doctrina de operationibus chirurgicis, de fasciis ligandis, de selectis clinices chirurgicae capitibus; Kilian V. Cl. in arte obstetricia, de supellectili instrumentorum obstetriciorum; Albers V. Cl. in pathologia speciali; Birnbaum V. Cl. in paediatrice. Denique practicis exercitationibus me instituerunt: arte cadaverum dissecandorum Mayer et Weber VV. Cll.; operationibus in cadaveribus faciendis Wutzer, Weber et Fischer VV. Cll.; in clinico propaedeutico et therapeutico Nasse V. Cl.; in clinico chirurgico Wutzer V. Cl.; exercitationibus obstetriciis in phantoma et in clinico obstetricio Kilian V. Cl.

Viris his praeclarissimis propter tot tantaque, quibus me cumulabant, amicitiae beneficia ulla nunquam oblivione obscuranda non modo verbis, verum re quoque ipsaque vita gratissimum animum meum testificari studebo.